

domesticæ disciplinæ consuluit. Indica suorum domicilia, dum abesset, Paulo Camerti cuncta subjecit. Interim vero, Japonicam ad expeditionem, instante jam die, se ipse diligenter parabat. Is ubi percrebuit rumor, piorum greges ad illum protinus lacrymabundi conveniunt. moment, obsecrant, obtestantur, ne semet ultro tam ancipitem ac periculosam in aleam det; neu publicam rem, quæ ipsius vel in primis nitatur capite, ejusmodi consiliis tantum in discrimen adducat. Sane quam multa erant, quæ quamlibet animosum hominem ac fortem abstertere a tali itinere possent. primum ipsa longinquitas, quippe leucas amplius mille trecentas distat a Goanis finibus terra Japonia. dein, multis in regionibus, ac præsertim circa Somatram ac Sinas, mare a piratis infessum, itemque a Sinarum præsiidiis, quæ sæpe numero in peregrinos omnes nullo discrimine tanquam in hostes invadunt. Idque tum erat extimiscendum magis, quod Sinas inter & Lusitanos nondum essent plane reconciliata commercia, neque locus foret Sinarum ullus, quo Lusitanis ad contrahendum aperte descendere, aut ibi tuto commorari liceret. Memorabantur etiam variis locis insidiosa vada syrtesque, nondum ad plenum iis cursibus exploratis. itemque Eoi pelagi natura, quod sævum, & vastum, & vorticosum, totas haud raro naves absorbet; & super hæc, præcipuus nautarum terror, ecnephias typhon; sicut in ea vel maxime plaga furere: & ipsa cum oneribus vectoribusque navigia in asperum sæpe littus ac saxa torquere. Cum hæc & alia multa ad timorem proponerentur, satisque mirari se posse amici negarent, cur tanto rerum usu, tali sapientia vir, tantis periculis objiceret sponte sese, relictaque in vicino segete, cujus ipsemet sementem fecisset; tam longinqua, tam operosa, tam incerti proventus novalia peteret, „Ast ego (inquit ille) satis mirari non possum, cur infini-
 „ tam Dei vim pariter, & clementiam quotidianis præconiis celebrare so-
 „ liti, eidem nunc potentiæ ac bonitati, meo potissimum in capite, diffi-
 „ datis. Anne vos præterit, qui rerum omnium arbiter sit, huic animata
 „ æque atque inanima prorsus ad nutum omnia deseruire? Testis haud se-
 „ mel unda, quæ sese Domini ac famulorum postea gressibus, mutata illi-
 „ co natura, calcandam exhibuit. Testes venti ac procellæ, quæ perfusis
 „ ultimi exitii horrore discipulis, uno Christi imperio conciderunt. Te-
 „ stis inclytus ille Job, in quem nihil omnino, nisi ex Domini voluntate,
 „ malo dæmoni licuisse comperimus. Testis denique (ne in re aperta sim
 „ fusior) veritas ipsa, quæ capitis nostri capillos omnes numeratos esse, ac
 „ ne unum quidem ex iis periturum, disertis verbis affirmat. Ergo, si-
 „ cuti Regum ducumve internuntii, ac præcones, regiis dumtaxat insigni-
 „ bus freti, per media castra, per instructas armatorum phalangas ac tor-
 „ menta disposita, vadunt securi, & inermes; ita, divinarum legum in-
 „ terpretes, gentiumque doctores, una summi Regis tutela ac majestate
 „ subnixi, per varia terræ marisque pericula, atque adeo per intentas un-
 „ dique machinas ac mucrones, quocumque res postularit, intrepidi atque
 „ alacres penetrare non dubitant. At enim isti ipsi quos narras, in latro-
 „ nes incidunt, laniantur a feris, naufragia faciunt: variis implicantur mor-
 „ bis; æstu, frigore, fame, siti, rerum omnium egestate laborant; circum-
 „ veniuntur consceleratorum insidiis, factionibus opprimuntur, tyranno-
 „ rum jussu omnibus suppliciis excruciiati mactantur. Concedo: & qui-
 „ dem hisce itineribus olim Apostoli ac Martyres ad sempiternam gloriam
 „ pervenerunt. Sed idem contendo; hæc omnia ad illorum vel proban-
 „ dam

Gggg

dam